EXCERPTA QUÆDAM
E Libro Theologi Eximii,

THOMÆ JACKSONI,

Τῦ Μαγείτυ ;

Cui TITULUS,

A

TREATISE

OF THE

DIVINE ESSENCE

AND

ATTRIBUTES.

Quæ Sententiam Sanam, ac CATHOLICAM Hæresi VORSTIANÆ Oppositam Elucidant, & Confirmant.

Τῦτο πάντη καθαλητὸν ἀυτῦ (Θεῦ) μόνον Ἡ ἈΠΕΙΡΙΑ.
GREG. NAZIANZ. Orat. 38.

Ille DEUS *Verus, Quo non est grandior ulla Materies, Qui* FINEM CARET, *Qui Præsidet Omni Naturæ, Qui Cuncta simul Concludit, & Implet.*
PRUDENTIUS Contra Symm. L. 1.

LONDINI,
Impensis Authoris, CIↃ DC LXXII.

—— ΠΟ'ΛΕΜΟΣ Δ' "ΑΝΔΡΕΣΣΙ ΜΕΛΗ'ΣΕΙ

ΠΑ̃ΣΙΝ, 'ΕΜΟῚ ΔῈ ΜΑ'ΛΙΣΤΑ——

Viris admodum Reverendis, Sacroſanctæ Theologiæ Profeſſoribus *REGIIS* in Utrâque Academiâ *Oxon.* & *Cantabrig.*

EDMUNDUS ELYSIUS,

Eccleſiæ Anglicanæ Filius Obſequentiſſimus *S. P. D.*

MAgna res agitur, Viri Clariſſimi, & Veſtra ſanè magis, quàm Mea; nam Vobis potiùs, quàm Mihi incumbit Veritatis CATHOLICÆ Defenſio Scholaſtica. Sextus jam decurrit An-

nus, *ex quo in lucem prodiit* Tractatus *cui Titulus* Tentamina Physico-Theologica De *DEO*: Sive Theologia Scholastica Ad Normam Novæ, & Reformatæ Philosophiæ Concinnata. *In isto Tractatu plurima occurrunt Fastuoso Titulo maximè Congrua*, Nova *scilicet*, *& in Scholis Theologicis* Inaudita. *Sic Spernit Iste*, Novæ Theologiæ *Artifex*, *Sanam*, *ac CATHOLICAM Tremendæ DEI OPT. MAX. INFINITATIS Notionem*: Vosne, inquit, quid sit Infinitum intelligitis? quàm facili negotio

negotio innumera problemata de Infinito quovis proferre liceret, quæ, in quamcunque partem verſemini, variis vos implicarent Contradictionum plexibus? ſed inpræſentiarum modò evolvite Quomodo Deus ſi Infinitus ſit entitatem cum quoquam alio participare potuit; [*Vah! Participare!*] nempe perfectio Infinita omnem aliam, qualiſcumque tandem illa ſit, excludat neceſſe eſt, quippe aliàs reperiretur perfectio extra Infinitam perfectionem; ſi igitur, &c. Cum æternum, immenſum, ſummè

potentem, ſumme ſcientem prædicatis, ſolummodo verba ab aliis accepta datis, de rebus non quas intelligitis, ſed quas non intelligitis garrientes. *L.*1.*C.*5. Cum Dei Eſſentiam (inquit *L.*2.*C.*5.) eſſe omni modo Simplicem contenditur, velim ut uberiùs demonſtretur omnimodam Simplicitatem perfectionem abſolutam cenſendam eſſe, &c. Ita pariter cum contenditur Deum Ubique per Immenſitatem adeſſe, in primis aſtruendum eſt Interminatam Eſſentiæ diffuſionem plus Perfectionis inferre, quàm Terminatam:

natam: *Quasi verò non Omnibus* CHRISTIANIS *Hoc liquidò constaret, Interminatam Essentiæ diffusionem plus Perfectionis inferre, quam Terminatam: Præcox Istius Ingenium Epistolis hisce Annexis Breviter perstrinxi. Longis Ambagibus utuntur* Sophistæ, ut Vi Verborum *Attrahant Assensum, cùm nequeant Ratione Instruere Intellectum. Nôrunt etiam quàm Congrua sint* Populo (*nempe* UNIUS PULCHRI INFINITI *Ignaro* ΑΚΟΣΜΑ'ΤΕ ΠΟΛΛΑ'ΤΕ. *Placet Mihi Res Arduas, & Explicatu Dif-*

Difficiles Succincto admodum Sermone Oſtendere, ut nullum Legentis Memoriæ *negotium faceſſant Verba, quibus ſubſtrata Materia* Intellectui *tantum faceſſit. Ingenioſiſſimum, Doctiſſimum, Sanctiſſimumque Virum, CYPRIANUM Ducem ſequor* : Legentibus (*inquit*) Brevitas hujuſmodi plurimum prodeſt, dum non Intellectum legentis, & Senſum liber longior ſpargit, ſed ſubtiliore compendio, id quod legitur, tenax Memoria cuſtodit.

Hoc tantùm Vos Oratos velim,

lim, ut Precibus Veſtris DE-
UM Mihi Propitium reddere
CHARITATIS Spiritu
Afflati ſtudeatis. Adverſarium
Nullum Metuo: Patronum Nul-
lum Invoco, niſi OPTIMUM
MAXIMUM. Adeo Mihi
conſtat Vere CATHOLICAM
eſſe hanc Sententiam (nec Argu-
tulam Metaphyſicorum *Noti-*
unculam, ſed ſummi Momenti
Veritatem) DEUM ESSE
UNUM SIMPLICI-
TER INFINITUM,
Ut in Ejus Defenſionem non
ſolùm minimè Pigeat aliquan-
tulum Atramenti effundere,
ſed

ſed & omnem Sanguinem effundendum exhibere, Vitam ipſam proijcere, me plurimùm juvaret. Opto Vos, Colendiſſimi Viri, ſemper benè Valere.

Quæſtione

QUæſtione iſtâ Formaliter Propoſitâ *An inter Nihil, & Aliquid detur Medium*, Pauci admodum in Scholis Reſpondentes partem Affirmativam eligerent; quòd ſi quiſpiam, ſic facilè occurreret Oppoſitio: Unumquodque Medium inter Duo vel Utrumque Extremorum Participat (ut Tepidum nec Calidum eſt, nec Frigidum, ſed utriuſque Miſtura) vel *Medium eſt Abnegationis*, nempe cui Neutrum competit. Sic Lapis, quanquam non eſt Cæcus, tamen Videre nequit, ideoque *Medium eſt Abnegationis* inter *Viſum*, & *Cæcitatem*. Quod Non eſt, utpote Nihil, Nullam omnino poteſt Eſſentiam Alicui communicare; Ergo impoſſibile eſt ut ſit *Medium Participationis* inter *Nihil*, & *Aliquid*. Quodcunque proponimus Vocabulum, ſi nullum Entitatis ſibi reſpondentis gradum, ſeu portionem habeat, rectè dicitur, Hoc planè Nihil eſt. At hujuſmodi Rationes, quanquam in Diſputationibus noſtris de Prædicamentalibus, & Numerabilibus Eſſentiis firmæ ſunt, ac ſtabiles; ESSENTIA tamen INFINITA recuſat intra hos Terminos venire. Eſtne HIC igitur *Medium quid* inter *Aliquid* & *Nihil*? Excellentia potiùs Tranſcendens, adeo ut nequeat comprehendi ſub *Alicujus*, vel *Ullius* Vocabulo; nam hoc eſſet *Illam* facere partem *Entitatis*

tatis Numerabilem. Contrà autem, id ipsum apertè Testaremur, quod Dixit Insipiens in Corde suo, si judicaremus *Illum* sub Altero Extremo comprehendi. Æquipollent hæc Dicta, æquè falsa, & pariter *Blasphema*, Non est DEUS, & DEUS est *Nihil.* *Falsitati* eorum plenè contradicentes, *Blasphemiæ* directè opponentes Dicemus, & Cogitabimus DEUS est UNUM, sed tamen non *Unum Aliquid.* Atque etiam si *Illum* Asserimus OMNE esse, hoc ipsum Intelligi volumus, *Ille ipse* Plus est, quàm OMNIA, sive Res omnes. Latinum illud, *Ens*, quod Universaliter sumptum Anglicano τῷ **Every Thing**, sive **Any Thing** directè respondet, *faciem Concreti habet.* Et cujusque *Concreti* Denominatio sumitur ab illâ *Naturâ*, cujus est Particeps; quæ tamen *Natura*, eò quòd *Simplex* sit, *Pura*, & *Perfecta*, idem Nomen, quod Aliis tribuit, ipsa respuit. Nil rectè Denominatur *Calidum*, vel *Album*, nisi à Participatione *Caloris*, vel *Albedinis*; Calorem tamen *Calidum*, vel Albedinem *Albam* vocare loquendi forma est tam impropria, & incongrua, quàm Regiam Majestatem Curiæ alicujus *Judiciariæ* Præsidis, vel cujuscunque Virorum Nobilium Titulo insignire, qui scilicet à Supremâ Majestate dependet. *Calor* itaque illud est, à quo Res Denominantur, ut per ejus Participationem Sunt, *Calidæ*; Albedo, illud, à cujus Participatione Denominantur Res *Albæ.* Hujusmodi erit Sermo noster de DEO, si Verba Majestati Ejus optimè aptata proferre volumus, nempe *Illum* non esse *Unum Aliquid*, sed

ſed potiùs UNUM, à Cujus Puriſſimâ, & Simpliciſſimâ Eſſentiâ Singula Dicuntur id eſſe, quod Sunt. Eſſe Hominem *Unum* Aliquid, & *Aliud*, Terram; Dici quamcunque Rem id eſſe, quod Eſt, Participationem implicat *Ejus Eſſentiæ*, Cujus Nomen Proprium eſt SUM (*Ex.* 3. 14.) Cujus Eſſentia vel ipſa Quinteſſentia eſt, Plenitudo Incomprehenſibilis, & Simpliciter Infinita *Ejus*, ſine Quo nec Affirmare quicquam, nec Negare poſſumus de *Eo*, Quod τὸ Εἶναι eſt, Fundamentum Unicum uniuſcujuſque eorum, quæ *Separatim*, ſeu *Diſtinctè* Nominari poſſunt, Vinculum Unicum eorum omnium, quæ Confæderari, ſeu Concatenari poſſunt: Dicamus igitur non tantùm *Illum* Eſſe UNUM, ſed *Illum* SOLUM ESSE: Atque etiam uniuſcujuſque eorum, quibus hunc Titulum, *Eſt*, Impertire licet, Totalitatem, ac Perfectionem Eminenter in Illo contineri. Sunt Angeli, & Spiritus Immortales, ſed non ſunt ipſa Eſſentia, hoc eſt, Eſſe ſuum habent per Eſſentiæ *Ejus* Participationem, Qui SOLUS EST, Qui SOLUS Omnia Comprehendit.

De Maximo, quem Ille Creavit, Angelo, ſive de Intelligentiâ Nobiliſſimâ, quam Philoſophi Imaginati ſunt, ſi nobis adeſſet, vel ſi ubi eſt cognoſcere poſſemus; Dicere liceret, Hic Angelus, vel Illa Intelligentia; ſeu loqui de *Hoc*, vel *Illâ*, ut de Parte inverſi hujus Numerabili, quanquam Principali. Nam quanquam Illius Natura ſit Noſtrâ multo Perfectior; & Ille ſecundum Naturæ ſuæ Perfectionem

Sociis

Sociis Angelis multò Excellentior : Ejus tamen Perfectiones certis Finibus continentur, queis benè conveniunt Demonſtrativa illa, Hîc, Iſtic, &c. Ille nec *Specificam* Naturæ Noſtræ Perfectionem, nec Sociorum *Numericam* intra Perfectionis ſuæ Terminos includit. In Genere ſuo itaque Ille eſt Perfectiſſimus, non tamen eſt Ille ipſa Perfectio quam Habet in Seipſo, ſed Ejus Receptaculum ; Si verò Perfectionem ſolummodò in Seipſo Habeat, cum Ipſe non ſit Perfectio, *Quid Habet, quod non Accepit ?* Quicquid Habet, conſtat ſanè, ut ab ipſâ ſit Perfectione *Participatum*, ſive *Acceptum*. Atque Ejus *Acceptarum Perfectionum Una* nec propriè eſt *Altera*, nec eſt Aliqua earum, nec Omnes ſimul Idipſum, Quod Ipſe eſt. *Potentia* Ejus non eſt idipſum, quod *Sapientia* ; *Sapientia* Ejus non eſt *Bonitas*, nec *Bonitas*, *Vita*. Diabolus, atque Angeli Ejus *Vitam* habent, quanquam amiſerunt *Bonitatem* ſuam ; & illorum *Facultas* Agendi minor eſt *Ingenio*, quo Peſſima *Machinantur*. *Optimus*, *Sapientiſſimus* Spirituum illorum, qui in Statu ſuo permanebant, haud *Potis* eſt per meram ſuam *Potentiam* vel Eſſentiam dare iis, quæ non Sunt, vel Creaturis Inanimatis Vitam ; nec poſſit *Sapientia* Creaturis Viventibus Sapientiam Inſpirare ; nec Fons eſt *Bonitas* Ejus, unde Derivetur *Gratia* (ſeu *Naturæ Divinæ Participatio*) in Animum Humanum. Quando autem ſic loquimur, DEUS EST UNUM, vel DEUS SOLUS EST, In *Unitate* hâc Inviſibili Multiplicitatem Omnem includimus. Nec poſſumus

pauciorĭbus

pauciōribus verbis de *Illo* plus eloqui, quàm hiſce eloquutus eſt SENECA; *Eſt Totum Quod vides, & Totum Quod non vides*: Quod Anglicè ſic explicat Author Noſter: **He is the Abſolute Totality of All, and Every Part of Being, or Perfection, which we ſee in things Viſible, or conceive in ſubſtances Inviſible.**

Hujuſmodi Analogiâ, quâ dicimus Statuam, ſive Imaginem, quanquam *Veram ac Vivam* eſſe, Hominem non Verum, Dicere, & Cogitare debemus nullam Creaturam (quarum Excellentiſſima nil Aliud eſt niſi DEI *Imago*, Eſſentia Ejus omninò non Alia, quàm *Participata*) Verè ESSE. Maximum earum Decus eſt Veras eſſe VERÆ ESSENTIÆ Umbras. Aut etiam, ut Theologis uſitatum eſt CHRISTUM Appellare *Verum Samuelem*, *Ipſum Davidem*, *Solomonem non Figurativum*, *Unicum Sampſonem*: non quia Illorum in Terris Degentium Hiſtorias nil aliud eſſe niſi *Ficta* Boni Exempli gratiâ *Legenda* exiſtimant, (ſeu tales Viros nunquam reverâ Fuiſſe) ſed quia *Protypi* exiſtebant *Unius* ſemetipſis multò Excellentioris, in Quo erat Id ipſum Verè, & Plenè Exhibitum, Quod in Illis ſolummodò Præfiguratum erat. Sic Dicimus DEUS *Solus Eſt*, quia *In Illo* eſt Ejus *Eſſentiæ* Totalitas, & Plenitudo, cujus Repræſentatio eſt in Creaturis ſuis. Hæc omnia includuntur in ſingulis iſtis Sacræ Scripturæ locis, ubi *Ille* ſic Loquitur de Seipſo: *Ego ſum Jehovah, & nullus eſt præter me Servator.*

" Hic Author Noſter, Vir omni Literarum

" genere

" genere Ornatiſſimus Egregia quædam profert
" de Placitis Stoicorum, & *Plotini*, iplius de-
" nique Clariſſimi *Platonis*, quæ tamen hanc ob
" cauſam omittenda eſſe cenſui, ne forſan Ar-
" gutulus Sophiſta anſam inde arripiat ad In-
" utilem Diſputationem Provocandi. *Parme-*
" *nidis* tamen, & *Ariſtotelis* Diſſentionem ab
" Illo conſcriptam præterire haud æquum eſſe
" videtur.

Parmenides (inquit) qui *Platonem* ipſum *Antiquitate* longè præcedit, minimè negavit (niſi *Simplicius Ariſtotelicus* nobis imponit) Diſtinctionem omnem, aut *Numericam*, aut *Specificam*, aut *Genericam* inter Partes Viſibiles, vel Intelligibiles Univerſi hujus. Cujus Diviſionis Membro quocunque conceſſo neceſſariò ſequeretur Multitudo, & Diviſio. At Quotcunque, vel Quantæcunque erant Partes Multitudinis, ſecundum Ejus ſententiam *Verè non Erant*, nempe Illius UNITATIS reſpectu, unde ipſæ duxerunt Originem. Hæc Γνώμη Philoſophi Sagaciſſimi, OMNIA UNUM SUNT, (in quem incidens *Ariſtoteles*, dum *Novam* ſuam ingreditur *Philoſophiam*, in primo limine titubavit) Axioma erat Verè Theologicum. Idipſum *Parmenides*, quod *Plato*, ſibi voluit (forſan & melius) quanquam Animi ſui ſententiam more Poetico explicavit, ſic quidem magis obnoxiam Pravo (Audientis, vel Legentis) Conceptui, ſed tamen ſi Ritè Concipiatur, Admirationi Excitandæ magis Aptatam. Verba ipſa haud invita exhibent hunc Senſum: Multitudo Viſibilium

sibilium nil aliud est nisi Multiplicata UNIUS *Invisibilis*, & *Independentis* Umbra : *Sensibilia*, seu per *Imaginationem Numerabilia* nil sunt aliud nisi Distinctæ Incomprehensibilis *Ejus* Essentiæ Repræsentationes, Qui Est UNUM, non ut *Unum* est *Pars Multitudinis*, Verissimè tamen UNUM, quia Indivisibile, & omnino non Multiplicabile, nempe ; Cui Nihil Deest, Qui Perfectissimè *Id Omne* Possidet, Quod per Multiplicationem potest Accedere : Verissimè UNUM, quia *Ille Solus Est*, atque Ejus Essentiæ Nihil Addi, Nihil Detrahi Potest, per Essentiarum Accessionem, vel Diminutionem Aliarum. Vel, ut forsan Sensit *Parmenides*, Sic *Ille* EST, Ut si Omnia Numerabilia illam, quam habent, Essentiam perdiderint, sive in Nihilum redigerentur, in illo iterum recuperari possent illa Omnia, & Statui suo pristino, secundum *Sibi* restitutionem, restitui, sine ullâ Supremæ *Ejus* Essentiæ Diminutione. Nam Quicquid nunc Est, antea Fuit, vel Potest Existere præter *Illum*, Excellentiorem Essendi *Rationem* habet in Æternâ, & Infinitâ *Ejus* Essentiâ Servatam, quàm Custodiæ suæ Tutò committi possit.

Fælix *Aristoteles* fuisset, nec parva nobis emolumenta accessissent, si suum *Magni Ingenii* Talentum impendisset in Explicandum illum Sapientiæ Thesaurum Infinitum, unde illud Acceperat ; seu Dies suos potiùs consumpsisset in UNIUS Contemplatione, à Quo Omnia quæ Stylo suo adornavit, duxerunt Originem, quàm

in Distinctis Earum Naturis, & Perfectionibus Enarrandis, Relationibus interim, seu Dependentiis Essentialibus, quas ab *Illo* (ÜNO) Acceperant, minimè Notatis; nisi Vir ille planè Admirabilis in eorum numero fuisset, qui (ut loquitur Apostolus) *Inanes facti sunt in Cogitationibus suis*, clarissimè perspexisset Definitionem, seu Descriptionem suam talis *Infinitatis*, qualem Ille Imaginatus est in Divisibilitate Magnitudinis; vel in Temporis Successione, nil aliud fuisse, quàm (ut *Plato* loquitur de ipso Tempore) Mobilem Veræ, ac Solidæ INFINITATIS Imaginem, Cujus Definitionem, ab Aliis quidem rectè Assignatam, fastuosè Hic respuit; vel talem habuit Ejusdem Imaginem in Cerebro suo fluitantem, qualem in Fluvio rapidissimo à Sole, vel Syderibus impressam cernimus. Definitio Perfecta est Toti Definiti Naturæ, seu ipsi Definito Absolutè Considerato non minùs Aptata, quàm Cortex Arbori, vel aliæ Superficies Visibiles iis, quæ Ambiunt, Corporibus! Haud satis est Proprietates Ejus quasdam, seu Ramos Particulares exprimere, multo minùs Relationes, seu Considerationes. Quæstione igitur Absolutè propositâ; *Quid est Infinitum?* Responsio Definitiva, & Satisfactoria talis esse debet, quæ apta nata est explicare non Naturam *Infiniti* solummodò in Successione, vel in Divisione, non hoc, vel illo Respectu, vel secundum Abstractionem quandam, seu Considerationem Particularem; sed INFINITI SIMPLICITER, & Absolutè Considerati Naturam.

turam. Illud ſolummodò *Simpliciter*, & *Propriè Infinitum eſt*, Quod non ſecundum unum aliquem *Infiniti* Conceptum ſeu Modum *Infinitum eſt*, ſed Quod ἐν τῷ ESSE *Infinitum Eſt*. De Hoc INFINITO *Antiqui* loquuti ſunt, Dicentes *Infinitum eſt Extra quod Nihil eſt*. Nam ut *Infinitum* in Longitudine Longitudinem Omnem includit, & *Infinitum* in Solidis Magnis Dimenſiones Omnes; ſic ἐν τῷ ESSE INFITUM *Eſſentiam* Omnem Poſſibilem includit; atque impoſſibile eſt Rem ullam Eſſe Extra ID IPSUM, in quo *Eſſentia* Omnis Poſſibilis continetur. Sic Ethnici illi *Antiqui Palpabant*, & *Quærebant*, & quodammodo *Inveniebant* DOMINUM *Illum*, ſub Notione UNIUS, & INFINITI, in quo (ut loquitur Apoſtolus) *Vivimus, & Movemur, & Sumus.* (Act. 17. 28.) Hæc Verba Interpretationem iſtam facilè capiunt, quæ neceſſariò includitur in laudatâ illâ *Antiquorum* Definitione INFINITI ἐν τῷ ESSE. " Impoſſibile eſt Rem ullam Viventem " Vitam habere, Rem ullam Mobilem Moveri, " Vitam ipſam, vel Motum aliquantilùm Eſ" ſentiæ gradum habere, niſi Solùm in Illo, " Qui Solus Eſt, nam ibidem v. 25. dicit idem " Apoſtolus, *Ipſe dat Omnibus Vitam, & Hali*" *tum, & Omnia*: nempe vel ipſa Primordia, Primos, & Ultimos talis, quam habent, Eſſentiæ Gradus. Itaque à Veritate longè aberrat *Ariſtoteles*, Dicens *Infinitum eſt Extra quod ſemper Aliquid eſt.* Conſtat tamen non Negâſſe *Ariſtotelem* Definitionem, ſeu Deſcriptionem

nem ab *Antiquis* Assignatam Veram esse, ac Perfectam Absolutè, seu ἐν τῷ ESSE INFINITI Definitionem. Quænam igitur Ipsi erat ab Illis Dissentiendi ratio? Aut quia non Agnovit Esse UNUM SIMPLICITER, seu ἐν τῷ ESSE INFINITUM, ut *Antiqui* Crediderunt: aut quia suspicatus est Credidisse Illos Mundum hunc Visibilem, sive aliquam Magnitudinem Corpoream *Actu*, & *Absolutè* esse Infinitam, sic ut præfert laudata Definitio. Quod ad Alterum Infinitum spectat, Quicquid Senserunt *Antiqui Philosophi* Nos certè CHRISTIANI Dogmati *Aristotelico* Contrarium non Sentimus: nam Magnitudinem Corpoream esse *Actu* Infinitam pernegamus.

Psal. 94. 8, 9, 10.

Animadvertite, ô brutissimi in populo: & stultissimi, quando intelligentes eritis?
An plantator auris, an non audiat? aut formator oculi an non intueatur?
An castigator gentium, an non reprehendat? qui docet homines scientiam, an non agnosceret?

Ut Dicimus *Illum Solum Esse*, atque Omnia Numerabilia nil esse aliud, nisi Ejus Essentiæ Umbras; sic etiam asserere debemus *Auditum*, *Visum*, & *Rationem* in Illo Esse secundum *Idêas*, seu Perfectiones eorum, non secundum illas eorum Umbras, sive Effigies Imperfectas, quæ Animalibus Intellectivis, & Sensitivis communicatæ

Distinguunt

Distinguunt illa à Creaturis Vegetativis, atque Inanimatis, quarum Perfectiones etiam *In illo Sunt.*

In Illo Esse Omnia, sive Perfectiones eorum nil aliud est nisi Posse *Illum Solum* eadem producere sine ullo Semine, seu Materia Præexistenti. Omnia non solum Existentia, sed etiam Possibilia, in Sapientia Illius Sunt, ut in Cerebro Architecti Ædificium: Omnia etiam in Sapientiâ Illius, ut Robur, & Vis qua Movemus Membra nostra in Nervis nostris, seu Facultate Motivâ. Hanc ob rationem Omnium Perfectiones in Illo Esse Verè Dicuntur, quòd Quicquid Est, vel Fieri potest per Ἐνέργειαν, seu Virtutem eorum, Ille Solus sine Ipsis Facere Potest. Posset Ille Pecora omnia Pascere sine Gramine, Morbum omnem sine Herbis, Metallis, vel aliâ quacunque Materiâ Medicinali Sanare, nempe Solo VERBO Suo, non Spiratione, nec ullâ Motione alia Prolato, nec ab Ipsâ Vitâ suâ, sive Essentiâ Distincto. Ille VITA Ipsa Est; nec Sustentatur Illius Vita [seu VITA, Quæ Ille Ipse Est] per aliquam Massam Corpoream, seu Naturam Præexistentem, nec *Sensu*, ut Nostra, Vestitur: *Sensus* enim, eò quòd esse nequit sine Organo Corporeo Notitiæ quoddam genus Imperfectum est. *Dolorem* Ille, ut Nos, *Sentire* nequit, quippe qui tendit ad Perniciem, Imperfectionis Periodum: Dolorem tamen quemcunque Potest *Sensibile*, seu *Materiale* Objectum nobis infligere, *Ille Solus* Potest (sine

quocunque Alio) altiori gradu eundem infligere. Doloris etiam menſuram, quam *Senſu* Nos Percipimus, multò meliùs ſine *Senſu* Ille Cognoſcit. Quando autem in Illo Eſſe Omnia Aſſerimus, ſecundum *Rationem* Excellentiorem, quàm in Seipſis Sunt, vel Eſſe Poſſunt: Abſit ut Cogitemus Excellentiarum *In Eſſentiâ Ejus Multitudinem*, ſeu Diverſitatem Variis Rerum Creatarum Naturis Reſpondentem: Abſit ut Imaginemur unam Excellentiam *Corporibus Elementaribus Reſpondentem*, alteram *Mixtis*, tertiam *Vegetativis*, quartam *Senſibus*, &c. Si *Plato* ille hoc ſibi voluit, Totidem Eſſe Diſtinctas *Ideas* ab Æterno Exiſtentes ſive in CAUSA PRIMA ſive Extra *Illum*, quot ſunt Subſtantiæ *Specificè* Diſtinctæ, Animi Ejus ſententiam nec Sequi, nec ullatenus Approbare debet quicunque ſe Chriſtianum eſſe Profitetur. In Hiſce Omnibus *Excellentia Divina*, ut Facies Una in Multis Speculis Variè Formatis, Variè Repræſentatur, Magis Verè in Se Una Exiſtens, quàm ulla Eſſentia, ſeu Entitas Alia, quam Unam vocamus, quàm ullum Rerum *Compoſitarum* Vinculum Unitivum. Ex Rebus Creatis hæ magis, illæ minùs *Illum* Nobis pro *Modulo* Noſtro Cognoſcendum exhibent; Minima, Viliſſima earum *Illi* aliquatenus Similis eſt; non Omnium Creaturarum Excellentiſſimæ, non omnium Cujuſque Perfectionum *Illius* Naturam tam plenè Repræſentare eſt, quàm Simiæ Umbra Repræſentat Corpus Humanum.

Quod ad Quæſtionem iſtam ſpectat, An *Ille* ſit

Una

Una *Perfectio*, vel Omnes Perfectiones? Quanquam qui Dicit DEUS *Est Omnes Perfectiones*, Nullam excipit, includit tamen solummodò *Perfectiones* Numerabiles, & Participatas: Atque hoc Dicere, Ille Est solummodò *Una Perfectio*, implicat solummodò Perfectionem Limitatam, atque adeo *Perfectionem* Acceptam, non Independentem. Vel hoc concesso, Esse Medium quid inter Omnes, vel Aliquas *Perfectiones*, & Unam *Perfectionem*, quòd rectè quidem per *Omnem Perfectionem* Exprimi potest; Qui tamen sic esset loquutus DEUS Est Perfectionis *Unitas* Universalis, seu *Totalitas*, hanc maximè oportet accuratiùs Distinguere de *Universalitate*, & *Totalitate*, *Universali ante rem* Definitionem exquisitiorem adhibere, quàm *Platonici* solent; ut sententiam suam vindicet à suspitione talis *Universalitatis*, seu *Totalitatis*, quæ ab Aggregatione Partium emergens Ultra Partes suas omnes non Extenditur. Nam quodcunque Aliud *Universale* seu *Totum* Partes omnes simul sumptas non Excedit; cum ESSENTIA DIVINA Essentias Omnes Particulares, seu Perfectiones Possibiles *Infinitè* Excederet, licèt Numero essent *Infinitæ*. HÆC Est igitur (si libet cuiquam sic dicere) Ea *Totalitas*, sive *Universalitas*, quæ Augeri nequit, multo minùs Componi per Multiplicationem cujuscunque Alius Perfectionis, licèt Assurgentis *In Infinitum*; nec Diminui, seu Exhauriri potest per Multiplicitatem, seu Particularium [Perfectionum] ab Eâ derivitarum Divisionem. At verò

sive

ſive Infinitam *Ejus* Eſſentiam in Se conſideremus, ſive, ut Omnia Poſſibilia Eminenter continet ; in utroque Reſpectu *Incomprehenſibilitas Ejus* ſe pleniùs Intellectui Inſinuat (Exprimi non poteſt) per Voces Indefinitas, quàm per Additionem Terminorum Definitivorum, *Singularitatis*, *Univerſalitatis*, *Tatalitatis*.

Pluralitatem omnem, non ſolùm *Idealium* Perfectionum Rerum Numerabilium, ſeu Creatarum Naturis Reſpondentium, ſed etiam *Internarum* Perfectionum, quarum Tituli Diſtincti neceſſariò pariunt in nobis *Conceptuum* Pluralitatem ; Excludendam eſſe à Verâ, Orthodoxâ, *Intellectuali* Interminabilis Eſſentiæ Apprehenſione, hinc liquet, Quòd ILLE nec Principium habet, nec Finem, nec Cauſam Eſſendi, nec Dependentiam : *Imaginari* non poſſumus, vel ſaltem ab *Intellectu* Noſtro corrigendæ ſunt *Imaginationes*, ſi quid hujuſmodi innuere videantur, *Potentiam Ejus*, quaſi Caudicem, *Sapientiam*, *Bonitatem*, & alia hujuſmodi Attributa, quaſi Ramos ab *Eſſentiâ Ejus*, tanquam à Radice, Aſſurgentes. Nam ſi *Eſſentia Ejus* Sit Abſolutè Independens, Abſolutè Eſt Interminabilis ; Itaque quid impedit, quo minùs Sit *Vita*, *Potentia*, *Sapientia*, *Bonitas* ; quo minùs INFINITE Sit, Quicquid Id Eſt, Quodcunque habet Eſſentiam ? Qui Attributorum Unum Id Eſſe Affirmat, Quod Alterum Non Eſt, vel *Eſſentiam Divinam* Negat Eſſe *Identicè* Idipſum, Quod Omnia Illa Sunt, tam Attributa, quàm Ipſam *Eſſentiam* Fines quoſdam, ſeu

seu Terminos habere concedat necesse est. Si *Potentia* in DEO *Essentiam* habeat à *Sapientiâ* Distinctam, & *Sapientia* Alteram *Essentiam* à Bonitate Distinctam, Unum horum Attributorum Tantùm abest ut Essentiam Infinitam habeat; Quantum Alterum habet Propriæ *Essentiæ* ab Eo Distinctæ, & omnino non Aliter possunt esse Infinita, nisi *secundum Quid*, & in suo Genere. Atque etiam quod si Ulla eorum Sint Id, Quod Essentia *Identicè* Non est, Essentia Infinita esse non potest, quia *Sapientia*, *Potentia*, &c. Essentias habent ab Eâ Distinctas. Atque illa, quo propiùs accedunt (sive *Separatim*, sive *Conjunctim*) ad naturam Veræ Infinitatis, eò magis Nudam, & Impotentem Matrem-Essentiam relinquunt, nempe hoc concesso, Essentiam, & Illa ita Distingui, ut Parentes, & Liberos, vel ut Radicem, & Ramos: nam cui usui esset Impotens Essentia? num hos Infinitatis Ramos sustentare? hoc facere non posset sine Potentiâ Infinitâ. Atque illi Rami, si Radice, seu Sustentaculo indigeant, Essentiam Necessariò Dependentem, seu Finitam habent.

Per Descriptionem INFINITI prædictam [Infinitum Est Extra Quod Nihil Est] planè constat Quòd, nisi Omnem *Potentiam*, Omnem *Sapientiam*, Omnem *Bonitatem*, OMNE denique Quod Verè Est ESSENTIA DIVINA contineret Illi non competeret ὃ ESSE ABSOLUTE INFINITUM. Quod *Interminabile* Est, Huic non competit *Divisio*, nec *Differentia Numerica*:

Nam

Nam ubicunque rectè dicitur Hoc Unum est, & Illud Alterum, vel Hōc est, non est Illud, utrumque Fines Distinctos habet. At verò cum *Imaginatio*, seu *Phantasia* Nostra sit *Divisibilis*, & Purissimi Nostri *Intellectuales* INFINITI Conceptus, Finiti; Cogitare non possumus de DEO, ut *Potentiam*, *Sapientiam*, & *Essentiam* Infinitam habente; quin necesse sit Conceptum *Potentiæ* formare ab ipso *Essentiæ* Conceptu Distinctum; & *Sapientiæ* Conceptum ab utrisque Distinctum. Atque Hæc in Nobis *Pluralitas Conceptuum* non rarò quidem *Pluralitatis Conceptum* parit inter Ejus *Essentiam*, & *Attributa*, nisi *Intellectus* Noster Corrigendæ *Phantasiæ* strenuè incumbit, per hanc sequentem, vel aliam hujusmodi Notam Veritatem Philosophicam. Ut Incorporeas Substantias nisi (Ἅμα φαντάζωμαι) cum alicujus Formæ Corporeæ *Imaginatione*, Contemplari non possumus, & tamen pernegat *Intellectus* has similes esse earundem *Speciebus*, sive *Picturis* per *Phantasiam* sibi exhibitis: sic etiam in hoc casu non obstante Imperfectorum Conceptuum Nostrorum Pluralitate, seu *Perfectionum* in Imaginatione Nostrâ Multiplicitate, dum OPTIMUM MAXIMUM Contemplamur; firmiter Credere, & animitùs Agnoscere debemus *Illum* INFINITE ESSE Idipsum, Quod *Suggerunt* Omnes hæ Distinctæ Repræsentationes: non sanè per Compositionem, seu Misturam *Perfectionum* Distinctè Infinitarum, sed per *Essentiæ Independentis*, & *Interminabilis* Unitatem Indivisibilem. Atque ut Infallibile

est

est in *Physiologiâ Axioma* : *Vis Unita Fortior* : sic *Extracti* ejusdem *Metaphysici* Veritas in *Theologiâ* clarius Elucescit.

Ab hâc *Fundamentali* Veritate de *Absoluta* DEI *Infinitate* per Unitatem Indivisibilem, hæc facilè inferre possumus : *Ille Potens* Est Supra Omnem *Potentiæ Infinitæ* Conceptum in Eâdem *Essentiâ* cum *Sapientiâ* radicatæ, omniumque Illius Fructuum participis, sed non *Identicè* Ejusdem cum Illâ. Ille Sapiens Est Supra Omnem *Sapientiæ Infinitæ* Conceptum, licet confœderatæ, seu concatenatæ cum *Potentiâ Infinitâ*, vel cum reliquis *Perfectionibus*, Vinculo quocunque Alio præter Absolutam *Identitatem*. Ille etiam *Bonus* Est Supra Omnem *Bonitatis Infinitæ* Conceptum, licet Indissolubili Vinculo concatenatæ cum reliquis Omnibus *Perfectionibus*, Quæ Concipi possunt, si modò non Concipiantur (ut Credere debemus Has ipsas *In Illo* Esse) ut Nomine tantùm, seu Conceptu Humano Distinctæ, sed in Naturæ, & Essentiæ Unitate, & Identitate Indivisibiliter cum Illâ Convenientes. *Ejus* denique Majestatis *Immensitas*, & *Infinitas* Durationis, Essentiæ Ejus, & Attributis Omnibus communis, Omnem Successionis, vel Extensionis, Conceptum Infinitè Superant, Cujus (Successionis, vel Extensionis) Partes nec cum semetipsis, nec cum Toto Actualiter, & Indivisibiliter Eædem esse possunt.

Hic est Immensus Admirationis Profundæ Oceanus, in Quo sanè Contemplativis Ingeniis summâ Voluptate perfusis Natare licet, sed

sed in Quem Altiùs sese immergere non possunt sine Magno Periculo: Secundum *Rationem* Præstantiorem Uniuscujusque Excellentiarum, & Perfectionum, quæ Concipi possunt, Totalitate in Unitate Indivisibili contineri, quàm si Naturæ earum, quas *Communiter* tenent, *Seperatim* essent dispositæ, absque ullis Terminis, præscriptis præter *Infinitates* Generi cuique Proprias!

At verò cùm Imaginationes Nostræ Apprehensionem *Magnitudinis* magis Sensibilem habeant sub Totalitatis, sive *Infinitatis* Divisibilis Notione, explicatæ, quàm sub *Unitatis Indivisibilis* Conceptu: Et cùm quodlibet Totum multo Majus esse videatur in Partes resolutum (ut Mille Passus per Terram, cujus singulæ Partes, seu Portiones minores Oculis Nostris sese offerunt, spatium multo Longius esse videtur, quàm Bis Mille per Mare, cujus Æqua Superficies Distinctam Partium Repræsentationem, sive *Objecti Visibilis* Diversitatem non præbet) Operæ pretium erit Principales quosdam *Essentiæ*, seu *Perfectionis* Ramos explicare, quorum *Infinitatem*, seu Totalitatem ESSENTIÆ INFINITÆ UNITAS Eminenter in se continet. His enim per *Imaginationem* in Series suas ritè dispositis, quasi totidem *Numeris* in *Tabulâ* Additioni præparatis, The Understanding may with Admiration guess at the Product, *C.* 4. quô tandem Assurgent conjecturam Admiratione absorptam agitet *Intellectus*, *Arithmetico* similis, qui in Progressione *Geometricâ*, eò usque Processerat,

ceſſerat, ut Summam ultimam, ſeu completam Numerare non poſſet, Agnoſcit tamen Progreſſum in Naturâ Finem, ſeu Terminum nullum admittere. Vel quanquam Addendo, & Multiplicando Perfectiones Poſſemus *in Infinitum* Procedere, uſque tamen concedendum eſſet *Intellectui* Regulæ prædictæ uſum adhibere, *Vis Unita Fortior:* vel Dogma Platonicum de Vi *Unitatis* Maſculinâ *Pluralitatis* Impotentiæ Fœmininæ reſpectu, agnoſcere oporteret hâc in re potiùs, quam in quâcunque aliâ Verum ac Orthodoxum eſſe.

SPatii Mathematici, vel Metaphyſici *Conceptus* adeo Annexus eſt *Temporis*, & *Loci* Phyſici *Imaginationi*, ut quanquam tam Ratio, quàm S. *Scriptura* demonſtrat Mundum eſſe quoad Phyſicam Magnitudinem, Finitum; cohiberi tamen nequit *Phantaſia* ab Excurſu in *Imaginariam* Diſtantiam Localem Ultra Superficiem Viſibilis hujus Opificii Divini Ultimam, imò Ultra Cœlum Cœlorum. *Philoſophus*, qui Locum, ſeu Diſtantiam Localem intra Sphœram Ultimam contineri putavit, rectè quidem ſecundum eandem ſententiam *Succeſſionis*, ſeu *Temporis* Terminationem, ſeu Circumſcriptionem conceſſiſſet; cui tamen *Imaginatio*, ſeu *Phantaſia* haud facilè ſe Accommodabit. Nam quanquam *Intellectus* Noſter Eorum, qui *Temporis* Principium eſſe

esse pernegant, Errorem reijciat, nutrit tamen *Phantasia Imaginariam* Successivam Durationem Ante Mundum hunc Visibilem Creatum multo Longiorem, quàm adhuc ipse (Mundus) perduravit. Et (quod Admiratione dignum videtur) Ingenia quædam *Scholastica*, Hanc Profunditatem Inspiciendo hujusmodi Vertigine correpta sunt, ut *Ipsum* DEUM Opinentur, Qui nunc Est in Omni Spatio Mundi Per Ipsum Creati, in *Imaginaris* Loci, & Temporis *Distantiis* Ante Mundum Creatum Fuisse. Sic *Locum Immensitati Ejus* Commensurabilem, & *Successionem*, (seu Tempus) *Æternitati* fecerunt Æqualem. Quid autem nobis Isti Respondérent Interrogati; utrum hæc *Duratio*, vel *Distantia Localis*, in Quâ DEUM Ante Mundum Creatum Fuisse Opinantur, ab Ipso fuerit Creata, annon? utrum Hæc Aliquid reverâ Fuerint, vel planè Nihil? Quod si Illa planè Nihil esse cogitarent, hoc certè Agnoscere debebant, nempe sese habuisse *Realem* Spatii *Infiniti Imaginationem*, Quod Realiter Non Erat. Ideoque rectè Appellari *Imaginarium* Non Potuit Ante Mundum Creatum. Quippe non idem est Spatium *Infinitum Imaginari*, & Asserere Spatium *Infinitum Imaginarium* Fuisse Antequam Fuit ulla Ejusdem *Imaginatio*. Qui Mundum Fecit, & Omnia, quæ sunt in Eo, haud magnam sanè ab istis Hominibus accepit Gloriam, qui Turrim Illi Ædificârunt, non in Aëre (qui Ante Orbem Conditum omnino non Extitit) sed in *Eo*, quod neque Tunc Erat, neque Adhuc unquam habuit

habuit Essentiam, nisi in Vanis Hominum Pereuntium Imaginationibus. Nam si quid Aliud erat Spatium *Imaginarium* præter *Imaginationem*, Hoc certè Creavit DEUS. Fuitne igitur huic Spatio *Imaginarium* Alterum Spatium, seu Distantia Localis, vel huic *Imaginariæ* Durationi Successivæ, Altera Duratio, in quâ Produceretur? vel faciunt hoc Tempus, aut Spatium *Imaginarium Æternitatis*, aut *Immensitati* Commensurabile? Si DEUS In ullâ Infinitate Aliâ præter Seipsum ab Æterno Fuisset, Rectè Dici non potuisset Illum Esse *Incomprehensibilem*. Per hoc Spatium *Imaginarium* nulla Realitas, seu Veritas potest Intelligi præter Ipsum DEUM, Quem *Hebræi* Appellant LOCUM, nempe INFINITUM.

De DEO Absolutè Dicere non possumus Nusquam Erat Antequam Mundum Condidit; hâc Limitatione utendum est, *Ille Nusquam Erat præterquam In Seipso.* Sic tamen In Seipso, ut Ipse Plus Sit, quàm OMNIA, *Tempore* Ulterior, *Loco* Major, *Capacitate*, seu Potentialitate ipsâ magis Infinitus, Circumscriptionis, seu Commensurabilitatis Incapax, *Tempus*, & *Locum* (vel quicquid concipimus per Successionem, vel Additionem Infinitum esse) Limitandi Potestatem habens per Præsentiam suam Essentialem, seu plusquam *Penetrativam* Coexistentiam, Sic in Utrisque (Loco scilicet, & Tempore) Existens, Sic in Omnibus, quæ Sunt, ut omnino esset Impossibile vel Oriri Aliqua, vel Perdurare *In Rerum Naturâ*, nisi

Ille In Ipsis Existeret, ut Centrum Sustentativum; Sic tamen ut *Illum* Ambire nequeant. Absoluta Ejus *Essentiæ* Infinitas Impossibilitatem Absolutam includit, ut Sit Solummodò In iis, quæ Sunt, vel Esse Possunt, licet per Ejus Potentiam Possint Illa *Numero* Esse, quoad Successionem, *Infinita*.

Nam igitur Evaporationes Melancholicæ Fastuoso-phantasticæ Glorioſæ *Ejus* Præsentiæ Splendorem penitùs obfuscaverant in Cerebro nefandi Istius SCEPTICI, qui nos sanè à SOLIS JUSTITIÆ Radiis fulgentissimis in *Tenebras Ægyptiacas* abducere conatur: Nam, ut rectè quidem nonnulli conjecturam faciunt, hoc *Portentum Opinionis* [DEUM Intra Cœlos Includi, ab hoc Mundo Inferiori Excludi Essentialem *Ejus* Præsentiam] primò peperit *Ægyptus*; sed adeo non illi Favor hominum se inclinavit, ut ad multas usque Nationes propagari non potuerit; hoc Pauci admodum melioris Notæ Philosophi Amplexi sunt præter *Aristotelem*, sive Authorem *Libri de Mundo ad Alexandrum*, cujus sententiam hac ex parte non sequutus est VORSTIUS, quòd DEUM Asseruit Ubique Esse per Potentiam, & Immediatam Providentiam; Error tamen Istius Turpissimus est, & Intolerabilis, quòd Infinitam *Ejus Potentiam*, *Sapientiam*, & *Bonitatem*, in quarum suavissimâ Harmoniâ præcipuè consistit Providentia Divina, ejusmodi esse finxit, ut *Ejus Majestati Infinitæ* quasi *Ministrorum*, vel *Legatorum* præstent Officia: quasi *Ejus Majestas*

Majestas Infinita Sola Par esset *Essentia*, cui minimè conveniret in Terris Operari, vel Alicubi Residere, præterquam in Aulâ Cœlesti. Vel si *Ejus Potentia, & Sapientia* Pariter cum *Essentiâ* Resident in Cœlis, & tamen ad Terram, ad Omnia, quæ inter Nos, & Glorioſam *Ejus* Præsentiam ponuntur, pertingunt: *Ejus Potentia, Sapientia, &c. Infinitatem* sibi vindicant potiùs quàm *Essentia*, utpote quæ sunt in multis Locis, ubi non est Illa. Sed forsan per hujusmodi sermones DEUM Esse Ubique in Terris, vel in Regione Subterrestri per *Sapientiam*, *Potentiam*, vel *Bonitatem*, hoc sibi velit, nempe horum Attributorum Effectus Esse Ubique, Omnia tam Terrestria, quàm Cœlestia Essentialiter Dependere ab Æternâ istâ Lege, quam *Ipse* illis imposuit; unamquamque Creaturam tam constanter *Ipsius* Voluntatem implere & Obsequi Potestati, *Ipso Absente*, quàm si eandem Penetraret *Ipsius Præsentia*; Scientiæ Oculum unumquemque Mundi Angulum Penetrare, & ipsa Hominum Præcordia tam clarè Inspicere, quàm si in eorum Centris Resideret. ——— Sumamus hoc, tanquam *Suppositionis*, vel *Imaginationis* Objectum (quod *Fide Christianâ* firmissimè persuasi sumus in se esse impossibile) quod Rationis lumine Intellectui Rectè Disposito Demonstrari possit Contradictionem manifestam implicare, "nempe Essentiam Infinitam (sive ipsum τὸ Esse) "Non Esse Ubique Essentialiter Præsentem; "vel Potentiam Infinitam Non Posse ad unum-

 "quemque

" quemque Effectum Pollibilem pertingere; tamen Omnia, quæ Sunt, Illi Eſſent Præſentia; Cujus Nomen Proprium, Cujus Optima Deſcriptio eſt, S U M. Nihil Fieri, vel Dici Poſſet, Illo non Præſente, *i. e.* ſine Perfectiſſimâ *Ejus* Notitiâ. Et forſan in hoc ſenſu recte Dixerint laudati quidam Authores (quorum ſententiam alii vel non capiebant, vel à ſemetipſis Perverſam carpebant " Omnia tam " Futura, quàm Præterita æquè eſſe Illi Præ- " ſentia, Qui Ubique Erat, Antequam fuit ulla " Temporum Diſtinctio: quia Nihil Fieri, vel Dici Poſſet ſine *Ejus* Notitiâ Perfectiſſimâ. Nihil Initium, Progreſſum, vel Finem habere Poteſt ſine *Ejus* Permiſſione Intuitivâ. Ille Oculum gerit Vigilantiſſimum ſuper Omnia, quæ Sunt, vel Eſſe Poſſunt. Vel hoc etiam ſumamus tanquam id, quod *Supponere* vel *Imaginari* poſſimus, *Scientiam Divinam* non ita Verè eſſe Infinitam, ut nos credimus; tamen ex iſto conceſſo, nempe *Potentiam Ejus* Verè eſſe *Infinitam*, Neceſſariò infertur, quòd Nihil Fieri, Dici, vel Cogitari Poſſet, niſi Illâ Concurrente, Operante, vel Aſſiſtente. Adeo ut *Ille* Ubique eſſe Poſſet per *Potentiam Infinitam*, quanquam *Ejus Scientia* non eſſet *Infinita*; vel Ubique per *Scientiam Infinitam*, quanquam *Ejus Potentia* Finita eſſet. Sed ex Infallibili Principiorum iſtorum Indemonſtrabilium conſequentiâ Neceſſariò ſequetur Quod, cum Eſſentia *Ejus* ſit *Infinita*, ut ſupra oſtendimus, nec Mundus nec Tempus, nec Locus, nec Potentia,

nec

nec Sapientia, nec aliud quodcunque Possibile Esse Potest, Ubi non Est Illa; Illa Necessariò Est Ubi Aliquid Est, vel Esse Potest. *Ille* est In quolibet Centro Substantiarum Corporearum, seu Materealium, In quolibet Puncto Visibilis hujus Universi, tanquam Radix Essentiarum, unde Omnia & singula quæ Sunt præter *Ipsum*, Oriuntur sine ullâ Substantiæ *Ejus* Diffusione, sine ullâ Sustentatione, seu Nutrimento ab aliâ quacunque Radice, sive Elemento proveniente. Substantiæ Immateriales Præsentiæ *Ejus* Essentialis Beneficio Conservantur. Materialia quotidie Fiunt, & Renovantur per Transeuntem (ut ita dicam) Potentiæ Creativæ Efficaciam.

Nos solùm hæc colligimus, vel *Scriptura* etiam eandem Docet Philosophiam? *An DEUS è propinquo sum Ego? dictum Jehovæ, ac non DEUS è longinquo?* Jer. 23. 23.

Nihil Est, Nihil Esse Potest Ultra Potentiæ *Ejus* Ambitum, *Omnipotentiam* Continere non possunt quæcunque sunt Loca: nam hæc Omnia Fecit. Dextra *Ejus*, non ut Carceres *Essentiam* inclusuros, non ut Vincula Brachii Omnipotentis Exercitium restrictura. *An delitescere potest quisquam in Latebris, ut Ego non videam ipsum? dictum Jehovæ.* V. 24. Hîc *Ille* Assensum nostrum *Infinitati* Scientiæ suæ adhibendum apertè requirit. Hæ sunt Duæ Principales viæ ☞ Esse Ubique Divini, sed non has solas Docet S. *Scriptura*: nam Tertia sequitur, quæ secundum Intellectus Nostri modu-

lum, Fundamentum est reliquarum omnium; Illa scilicet, unde Duæ priores facilè Demonstrantur: *Annon Cœlos, & Terram Ego Impleo? dictum Jehovæ.* Nam Ille Cœlos, Terramque Implet solum per *Potentiam*, vel per *Scientiam suam?* Nequaquam: sed Primariò per *Præsentiam Essentialem.* Nam *Essentia Ejus Infinitè Potens est, Infinitè Sapiens.*

Eò quòd *Ille* Est Omnis Essentiæ Author *Non Factus*, omnino tam impossibile est ut *Ille* Non Sit In Unoquoque eorum, quæ Sunt, quàm ut Aliquid Sit Extra *Illum.* Essentiæ *Ejus* Infinitæ Unitas Indivisibilis Centrum, & Sustentaculum est OMNIUM, Loci Conservatio, Divisibilia Continens, nè redigantur in Nihilum. *Agnoscas igitur* (inquit MOSES) *& revoces in Animum tuum Jehovam Deum ipsum esse in Cœlis Superne, & in Terrâ Infernè: nullum amplius esse.* Deut. 4. 39. *Ecce* (inquit SOLOMON) *Cœli ipsi, & Cœli Cœlorum non capiunt Te.* 1 Reg. 8. 27.

De DEO, Qui Est ipsa Perfectio, non per Aggregationem, sed per Absolutam Essentiæ Unitatem, Verissimum est illud Sancti *Bernardi, Nusquam Est, & Ubique Est.* Nusquam Est, quia Nullus Locus vel *Realis*, vel *Imaginarius* Illum Comprehendere, seu Continere potest: *Ille* Ubique Est, quia Nullum Corpus, Nullum Spatium, vel Substantia Spiritualis Præsentiam *Ejus* potest Excludere, vel Essentiæ *Ejus* Penetrationem evitare. Sed plenior, ac vivacior est Character ille Præ-

sentiæ

ſentiæ Ubiquitariæ, & Immenſitatis Divinæ, quem Sanctus GREGORIUS exhibuit: "DEUS Eſt Intra Omnia, Non Incluſus, "Extra Omnia Non Excluſus, Supra Omnia "Non Elatus. Hæc verba equidem in Scriptis "GREGORIANIS invenire non poſſum, "ſed alia occurrunt plurima, quæ ſenſum il-"lorum clariſſimè deſignant, cujuſmodi ſunt "iſta, Moral. L. 2. C. 8. Ipſe manet intra "omnia, ipſe extra omnia, ipſe ſupra omnia, "ipſe infra omnia; & ſuperior eſt per poten-"tiam, & inferior per ſuſtentationem: ex-"terior per magnitudinem, interior per ſub-"tilitatem: ſurſum regens, deorſum conti-"nens: extra circumdans, interius penetrans, "nec aliâ ex parte ſuperior, aliâ inferior, aut "aliâ ex parte exterior, atque aliâ manet "interior, ſed Unus, Idemque Totus Ubique "præſidendo ſuſtinens, ſuſtinendo præſidens, "circumdando penetrans, penetrando circum-"dans, &c.

Ut Nulli Characteres Præſentiæ Ubiquitariæ Eſſentiæ Incomprerenſibilis Ipſi tam bene conveniunt, quàm Illi, qui Noſtro plus Intellectui Inſinuant, quam verbis Exprimi poſſit: ſic hujus generis Nullum inveni, à quo equidem majora Animi Nutrimenta, vel majores Admirationis Fructus, accepi, quàm ab Illo *Triſmegiſti*, DEUS *eſt Sphæra, cujus Centrum eſt Ubique, cujus Peripheria Nuſquam.* Vel minima Globi hujus Univerſi Particula Eſſentiæ *Ejus* Unitate Indiviſibili, quaſi Centro Interno,

Sustentatur. Et tamen nec Ultima Globi hujus Universi, nec *Imaginaria* quæcunque Circumferentia Præsentiam *Ejus* Essentialem adeo potest Circumscribere, seu Comprehendere, ut Rectè dicatur, Huc usque Illa pertingit, sed Non Ultra. Nam quanquam Ille horum Cœlorum Convexa aliis coronaret, qui hosce Cœlos tanto Spatio, quanto hi ipsi Terram, Superarent, atque Opus hujusmodi continuum perageret usque ad consummationem Sæculi: Hæc tamen Omnia (splendidissima Ædificia) In Essentiâ *Ejus* Comprehensa essent, Alicubi semper esset eorum Circumferentia, cùm *Ejus* Essentia in se, licet & usque Adaugens (per hoc suppositum Potentiæ suæ quotidianum Exercitium) Actualis cùm Novis hisce Creaturis Coexistentiæ Terminos, sit omnino Interminabilis. Ipsa Omnipotentia Circumferentiam Ei apponere non potest, quia non potest Esse Aliquid, quin Necessariò Sit In Eo, *Qui Solus Verè Est*, nec in quacunque Re Contineri potest. Eò quòd Omnia *In Illo* Continentur, rectè quidem *Ille Sphærâ* repræsentatur, quæ ex omnibus Figuris est Capacissima. Eò quòd nequeunt Omnia *Illum* Comprehendere, rectè *Sphærâ* repræsentatur *Cujus Peripheria est Nusquam.*

Prophetæ, atque alii Sancti Viri in *Patheticis* suis de DEO sermonibus de *Illo* tanquam Absente loquuntur, quia Potentissima *Ejus* Præsentia non adeo manifestum sui Indicium præbet, ut illi optarent. *Utinam lacerans*

Cœlos

Cœlos deſcenderes (inquit Prŏpheta, Eſa. 64. 1, 2.) *à facie tuâ montes diffluerent, Quemadmodum conflagrante igne cremia, aquarum bullas excitat ignis, ut notum faceres nomen tuum hoſtibus tuis, à facie tuâ gentes contremiſcant.* Sed ut notum faciat hanc *Ejus* Potentiſſimæ Præſentiæ Deſcriptionem Dogmaticam Deſcenſus Localis Aſſertionem non includere, nec *Negationem Ejus* τῦ Ubique Eſſe, ſive τῦ Implere Unumquemque Locum per Præſentiam Eſſentialem: Idem Propheta alibi repræſentat *Ejus Immenſitatem* ſub Imagine *Gigantis* Totum Cœli, Terræque, & Aquarum Globum comprimentis: *Quis menſus eſt pugillo ſuo aquas, & cælos ſpithamâ expendit; aut complexus eſt trientali pulverem Terræ? & ponderavit ſaterâ montes, & colles lancibus?* C. 40. V. 12. *Et gentes tanquam gutta è ſitulâ, & tanquam flos pulviſculi in lancibus reputantur: en, inſulas ut rem minutiſſimam diſpoſiturus eſſet.* V. 15. *Omnes gentes velut nihil ſunt coram eo, minus nihilo, & inanitate reputantur ei.* 17. Sic Præſentiam *Ejus* Eſſentialem cum *Potentiâ*, & *Scientiâ* connectit: *Quare diceres Jahakob, & loquereris Iſrael, abſcondita eſt via mea à Jehova, & à Deo meo cauſa mea praterit? Annon noviſti? nonne audiviſti Deum æternum Jehovam, Creatorem extremitatum terræ non defetiſci, neque defatigari? nulla eſt perveſtigatio prudentiæ ejus.* 27. 28. At *Jobus* Animi pariter, ac Corporis Dolore obrutus tantùm non dixerat, ut *Jahakob* dicebat; *O ſi quis daret ut ſcirem invenire eum, pervenirem uſque ad ſedem*

ejus

ejus. Cognoscerem quibus verbis responderet: & intelligerem quid diceret mihi. En si antrorsum ivero, non aderit: si verò retrorsum, non animadvertam eum: Quum aget ipse ad sinistram, &c. Job. 23. 3, 5, 8, 9. Sed quanquam *Ille* à *Jobo* semetipsum absconderet, *Jobus* tamen ab *Illo* nec semetipsum, nec vias suas abscondere potuit: *Quum recognovisset*, inquit, *viam*, quæ est apud me. V. 10. *Quò irem à Spiritu tuo?* (inquit Psalmista) *aut quò à facie tuâ fugerem? Si scanderem Cœlos, illic es, aut stratum ponerem in Sepulchro, ecce ades.* Si *assumerem alas auroræ, habitaturus in extremitate maris; Etiam illuc manus tua deduceret me, & prehenderet me dextera tua.* Ps. 139. 7, 8, 9, 10. *Tu* (inquit V. 13.) *possides renes meos, ex quo obtegebas me in utero matris meæ.* Hæc, atque alia hujùsmodi *Sanctorum* Eloquia Præsentiæ DEI Essentialis *Sympathiam* arguunt, non tantùm Corpora eorum Ambientis, sed Animos etiam Penetrantis, & per ipsa Præcordia penitùs diffusæ. *Ejus* cum Omnibus Coexistentia, *Ejus* Præsentia, sive Habitatio Essentialis In Omnibus, *Idem* est, quanquam hoc non observant *Curvæ in Terras Animæ.* Et quando dicitur, quòd *Ille Impios è Longinquo pernoscat*, hæc verba Cogitationes eorum de *Ipso*, atque *Ipsius* Essentiâ aptissimè exprimunt. Hoc Isti non Cogitant, Illum Semper Esse Ipsis Proximum, Semper Circa Ipsos, Semper In Ipsis, sed Solùm In Cœlis [*Illum* Esse Cogitant] Quò animi Ipsorum raro Ascendunt. Et secundùm Pravas suas

de

de *Illo* Cogitationes Fata Accersunt Sibi : *Imaginantur Illum à Semetipsis Longè Distantem*, & Ingruentibus Ipsorum Miseriis, Tardè Venit *ab Illo* Auxilium, adeo ut Iter minis Longum peragere videatur.

Hæc Animi planè Divini Sensa de DEO Orbi CHRISTIANO perfruenda exhibuit Præstantissimus Theologus, Splendidissimum *Ecclesiæ Anglicanæ* Ornamentum, *THOMAS JACKSONUS*, ὁ Μακαρίτης.

Cogitationes Nostræ de Hoc Optimo Viro, Scriptisque Ejus Elaboratissimis Fervidos hosce Igniculos in Animo Flagranti excitârunt.

Thomas

THOMAS JACKSONUS

Anagrammaticῶς.

Oh, Sanctus Is! Amo.

Dum Tua Scripta Lego Æternum ſpirantia Amorem:
Sanctus Is, Oh, *certè eſt, Mens Mihi dicit: Amo.*
Scilicet uſque Tuum Accendunt Præcordia Nomen,
Sancte, Mihi: CHRISTUM, Te Tua, &
(OMNIA Amo.

NOmen Doctiſſimi Theologi, cujus Scriptis Elaboratiſſimis, quibus *Ille* Sacras Literas Explicandi rationem optimam oſtendit, ſedulò innixus, Multiplicium Errorum Scopulis, quibus impingentes quotidie cernere eſt Plurimos haud indoctos, οὐτ Θ ῳ̃ fæliciter evitatis Appuli tandem in Placidum, ac Omnimodè Tranquillum, quem Hic nobis oſtendit, AMORIS Portum: unde Mortalium in Salo hujus Sæculi fluctuoſo laborantium Caſus proſpiciens Plurimos cerno eorum, qui Theologiæ ſtudiis dediti eſſe ſibi videntur, hîc, illic

illic ingruentibus Opinionum procellis miserè jactatos: Quibus hunc in modum CHARITATIS Spiritu Afflati Ingemiscimus: Quò, quò, O Viri, Festinatis Errantes! AMARE, AMARE Discite: DEUM, atque *Homines* Per CHRISTUM *Amando* Gloriosissima Religionis CHRISTIANÆ Arcana Scrutamini:

Hîc vobis Requies erit laborum,
Hic Portus placidâ manens quiete.

ΔΟΞΑ ἐν ὑψίστοις Θεῷ, ἐπὶ γῆς Εἰρήνη, ἐν Ἀνθρώποις Εὐδοκία.

DUÆ

DUÆ EPISTOLÆ

AD

Spectabilem Virum, S. P.

Non Eloquimur Magna, ſed Vivimus.

DE LA
EPISTOLE
A
Spectabilem Virum, S. P.

PERLEGI, Erudite Vir, Libellum Tuum, cui Titulus, A Free, and Impartial Cenſure of the Platonick Philoſophy, in quo Veneranda quædam Veterum Νήπια flocci æſtimas, & Librum illum Egregium *De Divinis Nominibus*, Altiſſimâ Sapientiâ refertum, quaſi inanem, & Ridiculum nullius apud Te pretii eſſe jactitas. Hæc equidem indignè fero: Viros illos, quorum Genii Nobiliſſimi tot Mihi, tantaque ſuppeditârunt Auxilia in DEUM Amplectendum, & hunc Mundum magis, magiſque indies Spernendum, Deſpicatui haberi! idque à Viro, quem non poſſum non Ingenioſum pariter, ac Doctum agnoſcere!

Phyſiologiam quod attinet, quatenus id ſignificat, quod in Meo non poſſum Animo Experiri, non vacat Mihi de eâ litem cum aliquo habere. At *Stoica* hæc, CHRISTIANA potiùs, à quibus nec cernere eſt PLATONIS Mentem ullatenus alienam, ſtrenuè Aſſerimus.

Homini nil Mali eſſe, niſi in Animo ſuo. Τῶν Σοφῶν Πάντα ἴδια [Σόφου ἴδια τὰ τ ἄλλων.] Axioma iſtud profundâ Mente nuper Cogitanti Mihi Senſus VERITATIS inde exortos placuit

per Tetrasticon hoc in distinctiores evolvere Conceptus :

Αὐτάρκης Σοφός ἐστι· Τὸ Θεῖον ἔχει ἐν ἑαυτῷ·
Πάντα δέ ἐστι Θεοῦ Παντ' ἄρα ἐστι Σοφοῦ.
Αὐτῷ ὅσα Θεὸς τοῖς ἄλλοις δῶκεν ἀρέσκει·
Ὧδε τὰ τῶν ἄλλων αὐτῷ ἔδωκε Θεός.

Si neutiquam concedas Egregium esse hoc, & Sapientissimum Axioma, in imis (ut ita dicam) Religionis Christianæ medullis infixum, Per eam, quam professus es, Humanitatem, Te Oro, ut aliquam Mihi Negationis rationem ostendas. Scias velim eum Me esse PULCHRI Amatorem, qui Ipsum, ubicumque Invenio, Avidè Amplector, & prout Mihi se offert Occasio, Aliis etiam Amplectendum exhibeo : Invenio autem PULCHRUM Meum (Id scilicet quo summoperè oblectat sese Mundum Despicientis Animi Oculus) non tantùm in omnibus iis, quos Tu spernis, Authoribus, sed in iis etiam, quæ in Epistolio hoc profers, Animi Tui Indiciis; qui sanè quo Maturior evadet, eo minus habebit Acritudinis, nec in posterum Insipida adeo existimabis, quæcunque non Sapiunt Tibi. Vale.

Julii 20. 1666.

Ne

NE Tu, Magiſter, ægrè feras Me Tuos Viventis Errores redarguere, qui tot Egregia Defunctorum Scripta debitâ conaris Famâ privare.

CARTESIUM equidem quandoque Errantem agnoſco: at immutabilis eſt hæc noſtra ſententia, Impoſſibiſe eſſe ut talis Ingenii vir ſe ſtrenuè adeo accingens ad Summam Veritatem Probandam, DEUM EXISTERE, Rationem ſolummodò *Fictitiam* expromeret: Adeo nimirùm à PRIMO ENTE Omnia Dependent Creata, ut hebetis Ingenii Scholaſticum eſſe illum fateri neceſſe ſit, qui nequit ex Quolibet Vero Probare Hoc Verum eſſe, DEUM EXISTERE: Scitè quidem Poeta: —*Præſentem oſtendit, quælibet Herba DEUM.* DEI *Exiſtentiæ Notionem* Clariſſimam (nempe DEUM Neceſſariò Exiſtere eò, quòd Eſt Id, Quod Eſt, *i. e.* SIMPLICITER INFINITUM) quæ Mihi *Meditationes Carteſianas* 3. 5. perlegenti in Fundo Animi excitata eſt, his Verbis Demonſtratam Tibi exhibeo.

Si DEUS, ſive ENS SIMPLICITER INFINITUM poteſt eſſe directè Objectum Intellectus, eſt *Ens Rationis*, aut quod dicitur *Modus Entis*, aut habet *Eſſentiam Realem* vel *Poſſibilem*, vel *Actualem*. Sed Poteſt eſſe directè Objectum Intellectus, Ergo Aut eſt *Ens Rationis*, &c. At verò Nec eſt

Ens Rationis nec quod dicitur *Modus Entis*, Ergo Habet *Essentiam Realem vel Possibilem vel Actualem.* Ex eo constat Realiter Esse ENS SIMPLICITER INFINITUM, quòd cùm nec sit *Ens Rationis*, nec quod dicitur *Modus Entis*, possit esse directè Objectum Intellectus: Ex eo constat Actu Realiter Esse, quòd EST SIMPLICITER INFINITUM, nam eò quòd Illi competit ESSE SIMPLICITER INFINITUM Necessariò habet Perfectissimam Essendi Rationem.

ENS SIMPLICITER INFINITUM, Id scilicet quod Intelligimus per has voces *Ens*, &c. non esse *Ens Rationis* sic Probatur.

Ens Rationis (seu Animi Figmentum) est quod potest Homo certò cognoscere nil aliud esse, nisi quod proprio intellectu Effingit.

ENS SIMPLICITER INFINITUM non est quod potest Homo certò cognoscere, &c. Omnibus constat non posse Hominem per ENS SIMPLICITER INFINITUM Intelligere *Modum Entis* cum voces istæ apertè adeo Id significent, quod Omnes Essendi Modos, Fines, seu Terminos Transcendit.

In Nos Homunculos, quibus *Entitatis* Plenitudinem Suam esse, & Res Omnes in *Eventis* Omnibus, nisi sub eâ ratione quâ Sunt In Illo, *Inanes* esse Ostendit DEUS, fastuosâ verborum Pompa irruens certam, ac indubitatam

spiras

spiras Victoriam : *Vosne*, inquis, *quid sit Infinitum intelligitis ? quàm facili negotio innumera problemata de Infinito quovis proferre liceret, quæ in quamcunque partem verseminì, variis vos implicarent Contradictionum plexibus : sed impræsentiarum modò evolvite. Quomodo* DEUS *si Infinitus sit entitatem cum quoquam alio participare potuit ? nempe perfectio Infinita omnem aliam, qualiscunque tandem illa sit, excludat necesse est, quippe aliàs reperiretur perfectio extra Infinitam perfectionem ; si igitur perfectio divina Infinita sit, necesse est ut sola sit ; si enim quippiam præterea fuerit, non sine manifestâ ἀντιλογίᾳ Infinitum esset, & aliquid præterea.* Respondeo : Non aliquo *Modo*, sed VOLUNTATE Suâ Incomprehensibili Se DEUS, seu ENTITAS INFINITA Creaturis impertit sub variis earundem sese in Illo habendi Modis. Quicquid in Creaturis aliquam Perfectionis rationem habet Est In Ipsâ PERFECTIONE INFINITA Modo, quem *nequeo monstrare, & sentio tantum.* Datur aliqua Perfectio, quæ non est Infinita, sed non nisi Subsistens Vi Subsistentiæ UNIUS PERFECTIONIS INFINITÆ.

Perfectio Divina, sive INFINITA Sola est *Absoluta* Perfectio : Finita omnia eatenus Perfecta sunt, quatenus In DEO Manent. Si *per quippiam præterea* Aliquid intelligis Quod non est DEUS, sive UNUM SIMPLICITER INFINITUM. Asserimus esse talia innumera, nempe Omnia Creata ; sin

Aliquid intelligis Quod Non Est In Eo, tale Aliquid Esse pernegamus. Quo magis Te strenuè accinges ad *elevanda* hæc Nostra, eo clariùs Solida esse percipies, *Phantasiæ* forsan non adeo aptata, at certè (absit dicto invidia) *Puro Intellectui* maximè congrua. Maximi apud Theologos momenti esse debere Notionem INFINITI, DEO Attributi, ut animitus Agnoscas, Errores Tibi quosdam pudendos ostendam, in quos Teipsum delapsum senties propter egregiam ejusdem Ignorantiam. Flocci æstimas, ludibrio habes Sapientissimum Axioma Σοφὸν τὸ μὴ τῶν ἄλλων, SPIRITUM SANCTUM Impudentissimè Contemnens Qui idem apertè Asserit: Ad Unicæ SAPIENTIÆ nempe *Divinæ* Participes Ore Apostolico sic ipse loquitur: 1 *Cor.* 3. 21, 22. —— ΠΑΝΤΑ γὰρ ὑμῶν ἐστιν. Εἴτε Παῦλος, εἴτε Ἀπολλὼς, εἴτε Κηφᾶς, εἴτε κόσμος, εἴτε ζωὴ, εἴτε θάνατος, εἴτε ἐνεστῶτα εἴτε μέλλοντα ΠΑΝΤΑ ὑμῶν ἐστι.

Si *Res Adversas* Absolutè, & in se MALA esse directè Asseras (quæ sanè aperto prælio cum DEO Pugnans Opinio mihi videtur Animum Tuum occupare) Horrendi Sceleris coram DEO OPT. MAX. Te reum peragam. Novimus CHRISTIANI Optimum esse, & quodammodo *Jucundissimum Res maximè Adversas* cum CHRISTO, Pati, Εὐχαριστοῦντες πάντοτε ὑπὲρ πάντων ἐν ὀνόματι τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τῷ Θεῷ, καὶ Πατρί. Quàm Dedecet eum, qui CHRISTUM profitetur

Ducem

Ducem Sequi, dum Fatis acerbissimis agitatur non posse ex Animo Orationem talem proferre, qualem aliquo modo sensit vel *Ethnicus* quidam in hoc Casu proferendam. Ἐγώ σοι ὑπὲρ ἁπάντων τούτων πρὸς τοὺς ἀνθρώπους ὑπολογήσομαι· δείξω τὴν ἑνάστου φύσιν οἵα ἐστίν. *Arrian. Epict. L.* 2. C. 16.

Εὖξαι εἰ τι βούλει, πάντα σοὶ γενήσεται (Monitum planè EVANGELICUM) Ludicrum, & valdè Ridiculum esse crepitas! Scias velim Fervescentem admodum contra istas Lascivientis Calami Ineptias Indignationem nostram. Εὔχεσθαι quid aliud est nisi *Voluntatis* Actum DEI *Voluntati* Conformem exerere? Necesse est ut Placidè, ac Lætanter excipiat, quicquid ei Divina Providentia exhibet, qui sibi nil Poscit, nisi quod Vult Illum Habere OMNIPOTENS Universi Imperator. Hæccine, Scholastice, Scommate prosequeris? nimirum in istiusmodi Errores turpissimos delapsus es *Nova* Tuæ inhians Theologiæ. Qui verò INFINITUM esse Eum, Qui Omnia in Cælis, ac in Terris Fecit Conservat, Gubernat, Toto Animo Agnoscunt, In *Rebus* Omnibus, ac *Eventis* pro modulo quisque Capacitatis suæ SUMMUM BONUM sibi Illapsum Sentiunt. Hinc Illi extremâ rerum Temporalium Inopiâ, aut aliis quibuscunque Incommodis laborantes non Sua quasi Miseri Plorant Incommoda, sed Aliena Heroici magis Sentiunt: nempe Ingentes Animi *Humili Fortunâ* in DEUM Altiùs Elati Veram Instituti Divini de

Calamitatibus in Homines immittendis Rationem prospiciunt, Hoc Velle DEUM OPT. MAX. Intelligunt, Ut in ipsis Hominibus Ærumnosis *Sui Abnegationem*, *seu Humilitatem* excitent Ærumnæ, in Aliis *Misericordiam*: Atque adeo dum Humiles evadunt quos PATER SPIRITUUM graviter Flagellat, toti in eo sunt, ut amplissimam erga Alios, quos cernunt, Calamitate obrutos *Misericordiam* exerceant: *Seipsos* verè *Abnegantes Aliorum omnium* Personas quodammodo sibi Induunt: Gaudia *Aliena* Gaudent, Dolores *Alienos* Dolent. Si Divitiis, & Honoribus abundant PULCHRI INFINITI Amatores, istiusmodi omnia pro Nihilo habentes ab Amore eorundem ad quem eos retorquere conantur *Mundus*, *Caro*, *Diabolus*, quasi ruptis vinculis exiliunt in ingentem eadem faciendi Virtutis Instrumenta cupidinem. Tales profecto Fructus oriuntur ex illâ INFINITI Notione, quam Tu, Faxit DEUS, ut, Animo Mutato, quæ essem dicturus, non Vera reddas.

LUMEN Tibi Affulgeat INFINITUM. Opto equidem Te semper perfrui Suavitate illâ, quâ nostrum perfundit Animum PULCHRI INFINITI Cogitatio. Utinam hæc Locutio *Carteſiana*, quæ Finem nostro imponit Epistolio Finem etiam imponat Tuis circa INFINITUM Erroribus: ut verè Nihilum esse Omnia existimes, nisi in quantum à DEO pendent, Qui sanè non aliquo *Modo*, sed Ipso ESSE *Intermixabili*, sive

In-

INFINITO EST OMNIA: *Placet in ipsius* DEI *contemplatione immorari, ejus Attributa apud me expendere, & Immensi hujus Luminis pulchritudinem, quantum caligantis ingenii mei acies ferre poterit, intueri, admirari, adorare. Ut enim in hâc solâ Divinæ Majestatis contemplatione summam alterius vitæ felicitatem Fide credimus, ita etiam jam ex eâdem, licèt multo minus perfectâ maximam cujus in hâc vitâ capaces simus voluptatem percipi posse experimur.*

Vale, & BONUM INFINITUM Cogita.

Sept. 11.
68.

A D

Benevolum Lectorem.

SIC Ego, Amice Lector, Armis JACKSONIANIS *Errores Turpissimos fervidè Oppugnavi: Nunc Psalmo* DAVIDICO *Ostendam Meam cum quibuscunque* Hominibus (*nimirum quatenus* Sancti *sunt, vel* Sanctitatis *Capaces*) *cum* Rebus, *&* Eventis (*præter* Peccatum) *Omnibus Harmoniam Cœlestem, Perpetuam, ac Jucundissimam. Qui Diligit* CREATOREM, CREATA *Diligit Universa: Et Nihil non Illi Convenit, Qui* LEGI DIVINÆ *Animum Aptavit; nam Hæc Jubet vel ipsos Diligere Inimicos, & Semper Gaudere.*

"*Celebrent Te, Jehova, Omnia Opera*
"*Tua: & quos Benignitate pro-*
"*sequeris Benedicant Tibi.*

Quid

Quid poteſt eſſe tam apertum, tam confeſſum, tamque perſpicuum, cum oculos in Cœlum ſuſtuleris, & quæ ſunt infra, circaque luſtraveris, quàm eſſe aliquod Numen Præſtantiſſimæ Mentis; quo Omnis Natura inſpiretur, moveatur, alatur, gubernetur? *OCTAVIUS apud M. F.*

Eſſe Præſtantem aliquam, Æternamque Naturam, & Eam Suſpiciendam, Admirandamque Hominum Generi, Pulchritudo Mundi, Ordoque Rerum Cœleſtium cogit confiteri. *CICERO De* Divinatione *L.* 2.

[1] *Enarrant CÆLI Cœleſtis Nomina Regis*
Splendida: & Aſtriferos excurrit Clara per Orbes
Fama CREATORIS. [2] *Lux Luci magna revelat*
Arcana, & Nocti reboans Nox prædicat ipſa
Prudens Conſilium. [3] *Non eſt Gens ulla, nec uſquam*
Lingua, ubi Vox horum populi non perculit aures.
[4] *Terra Circuitum totum compleſtitur horum*
Linea: & extremum ſonuerunt verba per Orbem:
Immenſum Solis ſpatium currentis in illis
Conſtituit. [5] *Sponſo, Thalamum cum mane relinquit*
Hic Similis prodit: Gaudet quaſi fortis aperto

Vir

Vir Campo properans, dum captat præmia Cursu.

6 Cœlorum Fines linquit, properatque relictos
Visere, Ubique suum spargens Hæc Flamma calorem.
7 Perfecta DOMINI Leges, & pectora vertunt
Obliqua: imo Animos DOMINI Mandata Sagaci
Simplicitate beant. 8 DOMINI Præcepta tenore
Recto Corda fovent: DOMINI Purissima Scita
Dant oculis Lumen. 9 DOMINI Reverentia munda (est,
Æternúmque manet: DOMINI Decreta cohærent
Summæ Justitiæ. 10 Multo cupienda magis, quàm
Aurum, quàm clarum, quod fulsit in Ignibus Aurum:
Et superant dulci dulcissima mella Sapore:
11 Illa tuum, ut rectè faciat, monuere Ministrum:
Illa etiam rectè facienti præmia reddunt.
12 Heu, totam scelerum illuviem quis cernere possit
Qua mens spurcata est! maculas absterge refusas
Intus, & occultas. 13 Nè totis viribus ipse
Peccatis inhiet, Servum cohibeto: Libido

Nè

Nè premat imperio miserum : Tunc purus , & insons
Effugiam penitus sceleris consortia Magni.
14 Oris Verba mei , Cordis Meditatio tota
Candorem superent Vero Candore Nivalem,
Te Spectante, DEUS, Mea Rupes, Vita, Redemptor.

ΔΟΞΑ ἐν ὑψίστοις Θεῷ, ἐπὶ γῆς Εἰρήνη, ἐν Ἀνθρώποις Εὐδοκία.

FINIS.

F161121

E674.5